

## Ioannes 14:8-17

<sup>8</sup> dicit ei Philippus Domine ostende nobis Patrem et sufficit nobis

<sup>9</sup> dicit ei Iesus tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me Philippe qui vidit me vidit et Patrem quomodo tu dicis ostende nobis Patrem

<sup>10</sup> non credis quia ego in Patre et Pater in me est verba quae ego loquor vobis a me ipso non loquor Pater autem in me manens ipse facit opera

<sup>11</sup> non creditis quia ego in Patre et Pater in me est

<sup>12</sup> alioquin propter opera ipsa credite amen amen dico vobis qui credit in me opera quae ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet quia ego ad Patrem vado

<sup>13</sup> et quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam ut glorificetur Pater in Filio

<sup>14</sup> si quid petieritis me in nomine meo hoc faciam

<sup>15</sup> si diligitis me mandata mea servate

<sup>16</sup> et ego rogabo Patrem et alium paracletum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum

<sup>17</sup> Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere quia non videt eum nec scit eum vos autem cognoscitis eum quia apud vos manebit et in vobis erit